

attinet, occurrit ille potissimum, quando hic humor per vias minus adæquatas ad infueta loca defertur, nempe vel ad M. S. si nimirum ordinarius ejus motus ad intestina, ob causas superius jam jam enumeratas, interceptus est, ubi dein, prout ex antedictis jam jam constat, modo Icterus, modo varii generis febres, imprimis autem ardentes, post se trahit; vel etiam ad ventriculum, quorsum in statu s. n. itidem pervenire non debet, idque tam ob vitiosam & erroneam ductus choledochi in fundum hujus partis insertionem, qualia exempla apud *Barthol. CABROLIVM Observ. Anatom. 6. BONNETVM Anat. Pract. Lib. III. Sect. VIII. Obs. 34. p. 808. ZACVTVM LVSITANVM Prax. admir. Lib. II. Obs. 1.* aliosque prostant; quam ob inversum intestini duodeni motum peristalticum, unde dein non solum nausea cibique fastidium, sed & ardor ventriculi, singultus vomitusque biliosi crebriores eveniunt. Et hæc de præternaturali bilis depravatione & noxa pro hac vice adduxisse sufficiat, practicam enim horum vitiorum tractationem modumque illa corrigendi & emendandi, alio tempore & occasione tradere lubet.

S. D. G.

